

brazione in mano del Cancelliere visitata dal Parroco.

16. Tutte le messe con canto, per le quali i fedeli offeriranno l'elemosina, saranno solennizzate da tutto il Clero, nè alcun partecipante, che privatamente, ne ha ricevuta l'offerta, potrà farla celebrare a suo nome, anche dal Clero istesso, ma deve passarne la limosina in mano del procuratore, che avrà la cura di farle celebrare dall'intero Clero.

CONJUGES, CONJUGIUM.

SUMMARIUM.

1. Conjuges qui dicuntur. — 2. Matrimonium vocatur Conjugium a Conjugendo sub uno mutuo jugo. — 3. Post contractum, et nondum consummatum Matrimonium, habet uterque conjux bimestre ad deliberandum, an in Conjugio manere, vel ad Religionem transire velit. — 4. Intra dictum bimestre uterque conjux licite petit, et licite etiam negat debitum conjugale. — 5. Si intra dictum bimestre vir ab uxore invita copulam vi obtineat, potest uxor adhuc ingredi Religionem, saltem in casu quo ipsa viro vim inferre nitenti excipiendo manifestaverit se velle ingredi Religionem; aut circa hoc nondum plene deliberasse. — 6. Si ultra bimestre maneat Conjuges sine consummatione Matrimonii, potest uterque, etiam altero invito, semper Religionem ingredi. — 7. Imo si ultra bimestre maneat Conjuges sine consummatione matrimonii, possunt libere ad Religionem transire, etiamsi illicite negassent sibi debitum. — 8. Post dictum bimestre tenetur Conjuges debitum reddere alteri et ad id compelli potest etiam sub poena Excommunicationis, si Religionem non ingrediatur, quam Excommunicationem re ipsa incurrit, si intra tempus sibi a Judice praefixum non pareat. — 9. Et si etiam post illud tempus elapsum Conjuges ingrediatur Religionem, revocari non debet, valetque Professio, et post ingressum absolvendus est ab Excommunicatione. — 10. Per solemnem enim Religionis Professionem dissolvitur in quocumque tempore quoad vinculum Matrimonium ratum et nondum consummatum. — 11. Unde si unus Conjugum Religionem solemniter profiteatur, potest alter libere ad secunda vota transire. — 12. Post consummatum autem Matrimonium nullus Conjuges potest sine consensu alterius Religionem ingredi, et professionem emitte. — 13. Et si absque consensu alterius dicam Professionem in Religione emitat, potest ab altero revocari, et declaratur Professio nulla, adeo ut nec mortuo altero Conjugis ad Religionem redire teneatur. — 14. Mortuo tamen altero Conjugis, non potest licite propter simplex votum Castitatis alium ducere, nec potest petere debitum a vivente, quamvis ei illud reddere teneatur; si vero aliud Matrimonium contraheret, esset validum, quamvis illicitum. — 15. Potest autem unus Conjuges cum consensu alterius post consummatum matrimonium ad Religionem transire, si requisita adimpleantur conditiones. — 16. Prima ex conditionibus ad id requisita est consensus alterius conjugis. — 17. Secunda est, ut Conjuges in saeculo remanere volens sit senex. — 18. Quanta autem senectus ad id requiratur, arbitrari debet Episcopus cum judicio Medicorum, attentis omnibus circumstantiis dicti Conjugis, an ratione aetatis sit jam factus inhabilis ad generandum, et absit in ipso periculum, et suspicio incontinentiae. — 19. Tertia est, ut Conjuges in saeculo remanere volens, non sit suspectus de periculo incontinentiae ratione morum. — 20. Quarta est, ut Conjuges in saeculo remanere volens, perpetuum votum continentiae emitat. — 21. Professio emissa a Conjugis cum consensu alterius Conjugis est valida, quamvis non adhibita et observata sint aliae tres ultima assignatae conditiones. — 22. Si Conjuges in saeculo remanens perpetuam Castitatem voverit, Conjuges de ejus licentia Professus nequit amplius revocari, sive Conjuges in saeculo remanens sit juvenis, sive senex, sive de incontinentia suspectus, vel suspecta, sive non. — 23. An si unus Conjugum de licentia alterius Professionem in Religione emitat, et alter in saeculo remanens perpetuam Castitatem non voveat, Professus ad uxorem iterum revocari possit, et debeat. — 24. Conjuges remanens in tali casu in saeculo, si sit juvenis, et de incontinentia suspectus, compelli potest ab Episcopo, ut et ipse Religionem ingrediatur; et si fuerit conscius Juris, quod dans in tali casu licentiam, et ipse profiteri debeat, compellendus est etiam ad Professionem. — 25. Quamvis de Jure communi non requiratur licentia Episcopi, ut talis ingressus, et Professio fiat valide, requiritur tamen, ut fiat licite. — 26. Quando unus Conjugum adulterium committit, potest, eo invito, Conjuges innocens Religionem ingredi. — 27. Et si adulterium sit publicum, et notorium, potest Conjuges innocens ingredi Religionem propria auctoritate, non expectata sententia Judicis. — 28. Si vero adulterium sit occultum, debet expectare sententiam divortii a Judice. — 29. Conjuges innocens, si post alterius adulterium, ei voluntarie cohabitavit petendo, et reddendo debitum, non potest, eo invito, Religionem ingredi. — 30. Sic etiam Conjuges innocens, si ex post et ipse adulterium committit, non potest, invito primo adultero, Religionem ingredi. — 31. Quando Conjuges innocens Religionem non ingrediatur, sed in saeculo manens, divortium facit a Conjugis adultero etiam quoad cohabitationem, non potest Conjuges adulter sine licentia Conjugis innocentis ingredi Religionem. — 32. Potest tamen Conjuges adulter Religionem ingredi, et in ea profiteri, etiam inscio, et invito Conjugis innocente, si hic prius est Religionem ingressus, et in ea professus. — 33. Quotiescumque vir ob adulterium uxoris, ea in vita, potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines Sacros in saeculo quoque manens recipere. — 34. Afferitur, et solvitur instantia. — 35. Propter adulterium spirituale potest alter Conjuges Fidelis, etiam alio invito, Religionem ingredi, vel Sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad veram Fidem rediit iterum Conjuges adulterans; dummodo separatio ob tale adulterium spirituale auctoritate Ecclesiae, et non propria sit facta. — 36. Propter adulterium spirituale potest Conjuges innocens etiam propria auctoritate licite facere divortium quoad torum, et cohabitationem; at tunc si reus haeresis se converterit, tenetur iterum ad eum redire. — 37. Si vero Conjuges innocens divortium fecit auctoritate Ecclesiae, non compellitur ad Conjuges conversum redire, sed potest Religionem ingredi, si velit. — 38. Si tamen Religionem ingredi noluerit, etiam hic redire compellitur. — 39. Non enim solvitur Matrimonium quoad vinculum, si unus Conjugum transeat ad Infidelitatem, seu labatur in haeresim. — 40. Imo nedum non dirimuntur Matrimonia propter haeresim, sed et valide contrahuntur cum haereticis, si ritu Catholico contrahantur. — 41. Quinimmo secundum multos Matrimonia cum Haereticis, nedum sunt valida, sed etiam licita in locis,

17. Nella partecipazione non saranno ammessi secondo il Real rescritto dei 18 febbrajo 1824 se non quei chierici, che sono prossimi a poter conseguire l'ordine del Suddiaconato; che se dopo ottenuta la partecipazione non ascende al suddiaconato nelle spazio di sei mesi, elasso questo tempo, vacherà di fatto la porzione, e si aprirà l'esame per altri concorrenti.

ubi Haeretici, et Catholici permixtim vivunt, cum quibusdam tamen conditionibus. — 42. Talia tamen Matrimonia ordinarie sunt illicita sub peccato mortali, nisi Papa dispenset, aut rationabilibus causis excusetur. — 43. Iniquissimum est pactum illud, quod in aliquibus locis dicitur adjici Matrimonio Catholici cum haeretica, nempe ut masculi educantur in Fide Catholica Patris, et feminae in secta Haeretica Matris, vel contra. — 44. Nec valet immemorabilis consuetudo in contrarium. — 45. Si ambo Conjuges infideles convertiantur ad Fidem Catholicam, possunt, et debent in Matrimonio prius contracto permanere, quamvis cum impedimento Ecclesiastico contraxerint. — 46. Si vir Infidelis plures habuit uxores, debet, ceteris dimissis, solam primam retinere, si haec etiam convertatur, vel saltem sine periculo perversionis cum converso habitare velit. — 47. Hinc si prima nolit se convertere, nec sine periculo perversionis cum converso habitare velit, non teneatur vir conversus aliquam ex aliis conversis retinere, sed possit pro libito alteri nubere. — 48. Quid si vir Infidelis secundum ritum suum primam legitimam repudiaverit, et cum secunda contraxerit, ad n. 49. — 50. Si ex duobus Conjugibus Infidelibus unus tantum convertatur, et alter rogatus nolit converti, nec cohabitare sine injuria Creatoris, tunc Matrimonium, etiamsi fuerit consummatum, dissolvitur quoad vinculum. — 51. Tale autem Matrimonium non statim ipso facto dissolvitur, sed tunc primum quando conversus ad alias nuptias actu transierit. Unde si Conjuges Infidelis, antequam Conjuges conversus cum alio Fidele contrahat, ad Fidem quoque convertatur, huic adherere debet. — 52. Non potest autem Conjuges conversus solvere Matrimonium, quando infidelis vult cohabitare sine injuria Creatoris, licet nolit ipse converti. — 53. Si Conjuges infideles habeant prolem, et unus eorum convertatur ad Fidem, eidem sive pater, sive mater sit, restitui debet tota proles doti adhuc incapax. — 54. Si autem proles sit jam doli, et rationis capax, ejus libertati relinquitur, an conversum ad Fidem, vel potius infidelem parentem sequi velit. — 55. In dubio autem an proles sit rationis, et doli capax, proles parenti converso est restituenda. — 56. Conjugatus in Ecclesia latina non potest ad Sacros Ordines promoveri, nisi ab uxore continentiam proficiente expressam licentiam obtinerit. — 57. Et hoc etiamsi Matrimonium nondum fuerit consummatum. — 58. Potest autem Conjugatus etiam post Matrimonium consummatum ad Sacros Ordines promoveri, etiam sine licentia uxoris, imo ipsa invita, et reclamante, si habeat legitimam divortii causam. — 59. Conjugatus, non solum ad Sacros, sed nec etiam ad primam Tonsuram, et Minores Ordines promoveri potest sine uxoris licentia, et aliis requisitis numero sequenti assignandos. — 60. Ut Conjugatus igitur ad Ordines promoveri possit, praeter licentiam uxoris, requiritur etiam, ut ipsa uxor in saeculo manens perpetuam voveat Castitatem, si sit senex, et sine suspitione incontinentiae; si autem sit juvenis, vel suspecta de incontinentia, etiam Religionem ingredi debet juxta dicta super n. 24. — 61. Conjugatus non potest ordinari Episcopus, nisi de expressa licentia uxoris et nisi uxor ipsa prius Religionem profiteatur. — 62. Ut autem Conjugatus possit promoveri ad Cardinalatum, requiritur ingressus uxoris in Religionem solum in illo casu, in quo requiritur talis

(1. Conjuges dicuntur mas et femina in legitimo Matrimonio conjuncti. *Communis*. (2. Matrimonium vocatur conjugium a conjugendo sub uno mutuo jugo, quia virum et mulierem sub uno eodemque quasi mutuo jugo ad servandam fidem, et onera Matrimonii sustinenda constituit; Catechismus Romanus de Matrim. c. 1.

ingressus pro uxore conjugati promovendi ad Ordines. — 63. Ut tamen Conjugatus possit promoveri ad Papatum, requiritur, quod ejus uxor prius Religionem profiteatur. — 64. Conjugatus absque licentia uxoris ad Presbyteratum, Episcopatum, Cardinalatum et Papatum promotus potest ab ipsa ad consortium conjugale revocari, et tunc teneretur ei debitum reddere. — 65. Non posset tamen debitum petere. — 66. Nec talis Conjugatus posset, mortua dicta sua uxore, ad alias nuptias transire, et si de facto aliud Matrimonium contraheret, illud esset nullum. — 67. Adducitur, et solvitur instantia. — 68. An si Conjugatus cum uxoris spontanea licentia ad Ordines Sacros sit promotus, et ipsa uxor in saeculo manens perpetuam castitatem non voveat, possit ab ipsa revocari ad consortium conjugale. — 69. Si Conjugatus cum licentia spontanea uxoris Sacros Ordines suscepit, tunc uxor non potest, eo mortuo, valide aliud Matrimonium inire. — 70. Si autem vir Ordinem Sacrum suscepit, uxore contradicente, vel ignorante, potest ipsa, eo mortuo, aliud Matrimonium valide contrahere. — 71. Conjugatus sine spontanea uxoris licentia ad Ordinem Sacrum transiens fit irregularis, et nequit in suscepto Ordine ministrare, nec ad superiores Ordines provehi, nec ad aliquod Beneficium, aut Officium Ecclesiasticum promoveri, nisi Religionem Canonicè fuerit ingressus. — 72. Et si Matrimonium nondum fuerit consummatum, talis Conjugatus est instanter monendus ad Religionem ingrediendam; quod si noluerit, si sponsa ejus institerit, est per Ecclesiasticam Censuram ad consummandum Matrimonium compellendus. — 73. Si unus Conjuges pro certo cognoscat invaliditatem Matrimonii, quamvis in facie Ecclesiae id probare nequeat, nec petere, nec reddere potest debitum, non obstante, quod per sententiam, aut etiam per Excommunicationem ad id compellatur, etc. — 74. Quando Conjuges debitum conjugale possint, et debeant reddere, vel non. *Remissive*. — 75. Quoad ea, quae concernunt debitum conjugale super impedimento petendi debitum conjugale. *Remissive*. — 76. Quando, et quomodo possint, vel non, Conjuges facere divortium. *Remissive*. — 77. Conjuges opus Conjugii exercentes ob solam voluptatem non vacant culpa veniali. — 78. Conjuges in actu conjugali cum sua, se morose delectans in alia, velut praesente, peccat mortaliter, et addit novam speciem adulterii in Confessione explicandam. — 79. Delectatio morosa de actu Conjugii inter Conjuges praesentes, dummodo absit periculum pollutionis, non est peccatum mortale. — 80. Imo Conjuges neque mortaliter peccat, si habeat maritali copula altero Conjugis absente cogitans, in re cogitata morose delectetur. — 81. Omnes tactus, amplexus, turpiloquia, aspectus lascivi, et hujusmodi, quae fiunt inter Conjuges sine ordine ad copulam, si fiant cum periculo pollutionis in uno, vel altero, vel pertineant ad Sodomias quamdam inchoatam, sunt peccata mortalia, alias non sunt nisi venialia. — 82. Conjuges an, et quas donationes possint sibi invicem facere. *Remissive*. — 83. Quoad ea, quae concernunt bona Conjugum. *Remissive*. — 84. Quibus prius subvenire debeant Conjuges in extrema, gravi, et communi necessitate. *Remissive*. — 85. Ad quem Conjugem spectet proprietas, et dominium dotis, et quid de ipsa in variis casibus. *Remissive*. — 86. Alia ad rem. *Remissive*.

(3. Post contractum et nondum consummatum Matrimonium habet uterque Conjuges bimestre ad deliberandum, an in Conjugio manere, vel ad Religionem transire velit: *Communis*, textu expresso in cap. Ex publico 1, de conversione Conjugatorum. (4. Intra dictum bimestre uterque Conjuges licite petit, et licite etiam negat

debitum Conjugale. *Communis*, arg. cit. cap. *Ex publico*; uterque enim potest libere, et licite uti Jure sibi a lege in d. cap. *Ex publico concessio*.

(5. Si intra dictum bimestre a Jure concessum Vir ab Uxore invita copulam vi obtineat, potest Uxor adhuc ingredi Religionem, saltem in casu, quo ipsa Viro vim inferre nitenti excipiendo manifestaverit se velle ingredi Religionem, aut circa hoc nondum plene deliberasse, Glossa in cap. ultim. verb. *Invitus* dist. 53, in c. *Verum* 2, n. 9, de convers. Conjugator. Joannes Andreas in c. *Quæ contra Jus* 64, n. 6. Regul. Juris in 6. Fagn. in cit. c. *Ex publico* 7, n. 27, de conversione Conjugator. Sanchez, lib. 2, de Matrimon. disp. 22, n. 6. La Croix, lib. 1, p. 3, n. 421. cum aliis ibi citatis; Pirhing lib. 3 decret. tit. 31, n. 56. Reiffenstuel ib. num. 6, cum communiori, et probabiliori aliorum contra Zoesium, Armillam, Sylvestrum, et nonnullos alios; et ratio nostra est, quia sine culpa nemo debet suo Jure privari, cap. *Discretionem* 6, ad fin. de eo, qui cognovit: Rem enim, quæ culpa caret, in damnum vocari non convenit; cap. *Cognoscentes* 2, de Constitutionibus: Neque debet quis alterius odio prægravari; cap. *Non debet* 22, de Regul. Juris in 6, et l. *Non debet* 74, ff. de Reg. Jur. cum peccata suos debeant tenere auctores; l. *Sancimus* 22. Cod. de pœnis, cap. *Quæsiuit* 7. De his, quæ fiunt a majori parte Capituli, adeoque tale indultum Mulieri a Jure beneficium non est ipsi dissentienti auferendum cap. *Indultum* 17, de Reg. Jur. in 6. Tum qui talis Maritus injuriam infert Uxori, et inique agit; cit. cap. *Ex publico* 7, de conversione Conjugatorum; Nemo autem ex sua malitia debet commodum reportare, nec ex suo delicto meliorem suam conditionem quis facere potest; l. *Non fraudantur* 134, ff. de Regul. Jur. cap. *Intelleximus* 7, de Judiciis cum similibus.

(6. Si ultra bimestre maneant Conjuges sine consummatione Matrimonii, potest uterque, etiam altero invito, Religionem ingredi: post Matrimonium enim ratum, et nondum consummatum semper, etiam post viginti, et plures annos, licitum est cuivis Conjugum, etiam altero invito, Religionem intrare. *Communis* textu expresso in cit. cap. *Verum* 2, de Conversione Conjugatorum, ibi: « Verum post consensum legitimum de præsentii licitum est alteri, altero etiam repugnante, eligere Monasterium (sicut Sancti quidam de nuptiis vocati fuerunt), dummodo carnalis commixtio non intervenit, » addita ibidem ratione: « Quia cum non fuissent una caro simul effecti, satis potest unus ad Deum transire, et alter in sæculo remanere. » Et concordat cit. cap. *Ex publico* 7 eodem, ubi, ut observat Pirhing loc. cit. num. 54. Mulier illa, cui potestas transeundi ad Religionem datur, jam diu ante Matrimonium contraxerat.

(7. Imo si ultra bimestre maneant Conjuges sine consummatione Matrimonii, possunt libere ad Religionem transire, etiam-

si illicite negassent sibi debitum. Sic expresse La Croix lib. 6, par. 3, num. 419. cum Sanchez, Layman, Gobat ibi citatis, et concordat Glossa in cit. cap. *Ex publico* verb. *Infra duorum*; Pirhing. loc. cit. num. 54. et alii.

(8. Post dictum bimestre tenetur Conjugum debitum reddere alteri, et ad id compelli potest etiam sub pœna Excommunicationis, si Religionem non ingrediatur, quam Excommunicationem re ipsa incurret, si intra tempus præfixum sibi a Judice non pareat, *Communis* per text. in cit. c. *Ex publico* et Glossa ibidem verb. *Infra duorum*.

(9. Et si etiam post illud tempus elapsum Conjugum ingrediatur religionem, revocari non debet, valetque Professio, et post ingressum absolvendus est ab Excommunicatione; Glossa in cit. cap. *Ex publico*, verb. *Infra duorum*; Sanchez lib. 2, de Matrimonio disput. 24, n. 28. Pirhing. loc. cit. num. 54, et alii. (10. Per solemnem enim Religionis professionem dissolvitur in quocumque tempore quo ad vinculum Matrimonium ratum et nondum consummatum; cap. *Verum* 2, cap. *Ex publico* 7, c. *Ex par.* 14, de conversione Conjugatorum, et expresse Conc. Trid. sess. 24, de Sacram. Matrim. Canon. 6, ibi: « Si quis dixerit Matrimonium ratum, non consummatum, per solemnem Religionis Professionem alterius Conjugum non dirimi, anathema sit. »

(11. Unde si unus Conjugum Religionem ingrediatur, et in ipsa Professionem solemnem emittat, potest alter post dictam emissam Professionem libere ad secunda vota transire, seu cum alio Matrimonium contrahere. *Communis*, textu expresso in cit. cap. *Verum* 2, de Conversione Conjugatorum, ibi: « Et alteri remanenti in sæculo (si communitus continentiam servare noluerit) licitum est ad secunda vota transire. »

(12. Post consummatum autem Matrimonium nullus Conjugum potest sine consensu alterius Religionem ingredi, et Professionem emittere. *Communis* claris testibus in c. *Quidam* 3, cap. *Cum sit* 4, c. *Uxoratus* 8, cap. *Placet* 12, cap. *Ad Apostolicam* 13, de Conversione Conjugatorum cum similibus.

(13. Et si absque consensu alterius Conjugis dictam Professionem in Religione emittat, jubetur Vir ad Uxorem, et e contra Uxor ad Virum redire, et declaratur Professio nulla, adeo ut, nec mortuo altero Conjugum, ad Religionem redire teneatur. *Communis*, textu expresso in cap. *Quidam* 3, et cap. *Placet* 12, de conversione Conjugatorum.

(14. Mortuo tamen altero Conjugum non potest licite propter simplex votum Castitatis alium ducere, nec potest petere debitum a vivente; quamvis ei illud reddere teneatur. *Communis*, textu expresso in cit. c. *Quidam* et cit. cap. *Placet*, si vero aliud Matrimonium contraheret, esset validum, quamvis illicitum. Vide *infra* n. 67.

(15. Potest autem unus Conjugum cum con-

sensu alterius post consummatum Matrimonium ad Religionem transire, si requisitæ adimpleantur conditiones. *Communis*, claris testibus in cap. *Sunt qui dicant* 19, cap. *Agathosa* 21, caus. 27, quæst. 2, cap. *Cum sis* 4, de conversione Conjugatorum, ibi, « Prohibemus, ne Virum vel Mulierem (nisi uterque ad Religionem migraverit) transire permittas. Verum si ita Uxor senex est, et sterilis, quod sine suspitione possit esse in sæculo, dissimulare poteris, ut ea in sæculo remanente, et Castitatem promittente, ad Religionem transeat Vir ejusdem. » Concordat cap. *Uxoratus* 8, et cap. *Ad Apostolicam* 13, eod. ibi: « Cum autem Vir, et Uxor una caro sint per copulam conjugalem effecti, nec una pars converti possit ad Dominum, et altera in sæculo remanere, profecto non est alter Conjugum recipiendus ad observantiam Regularem, nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat; sed et vitam debet mutare, nisi forte sit ejus ætatis, ut sine suspitione incontinentiæ valeat in sæculo remanere. »

(16. Conditiones copulative requisitæ ad hoc ut unus Conjugum, altero remanente in sæculo, possit Religionem ingredi, et ibi Professionem emittere, sunt quatuor. Prima est, ut interveniat consensus alterius Conjugis; c. *Quidam* 3, cap. *Cum sis* 4, c. *Uxoratus* 8, c. *Placet* 12, c. *Ad Apostolicam* 13, de conversione Conjugatorum.

(17. Secunda est, ut Conjugum in sæculo remanere volens sit senex, cit. c. *Cum sis* 4, de conversione Conjugatorum, ibi: « Si ita senex est » etc. et cit. c. *Ad Apostolicam* 13, eod. ibi: « Nisi forte sit ejus » etc. etc. *Significavit* 28, eod. ibi: « Si est ista, et est talis ætatis etc. » Si enim sit juvenis, quantumvis ob optimos suos mores absit suspicio, et periculum incontinentiæ, debet necessario Religionem intrare, ut alter Conjugum licite, et valide ingredi, et profiteri valeat; Abbas in cap. *Conjugatus* 5, num. 4, de Conversione Conjugatorum; Fagnan. in cit. cap. *Cum sis* 4, num. 10. Reiffenstuel lib. 3. Decretal. tit. 32, num. 14, et alii.

(18. Quanta autem senectus requiratur ad hoc, ut, uno Conjugum Religionem intrante, possit alter in sæculo remanere? arbitrari debet Episcopus cum judicio Medicorum, attentis omnibus circumstantiis sexus, temperamenti, seu roboris, et hujusmodi dicti Conjugis; an ratione ætatis sit jam factus inhabilis ad generandum? cum ubi ratione ætatis potentia generandi cessat, etiam calor naturalis incontinentiæ incentive deficit, et consequenter periculum, ac suspitionem incontinentiæ abesse præsumatur, arg. cap. *Cum sis* 4, de conversione Conjugatorum, ibi: « Si ita Uxor senex est, et sterilis, quod sine suspitione possit esse in sæculo; » sic Fagnan. in cit. c. *Cum sis* n. 22. Sanchez loc. cit. num. 16. Reiffenstuel loc. cit. n. 18, et alii.

(19. Tertia est, ut Conjugum in sæculo remanere volens non sit suspectus de periculo incontinentiæ ratione morum; cap. *Uxoratus* 8, de conversione Conjugatorum, ibi:

« Quæ integræ opinionis existat, ita quod nulla suspicio habeatur eam ad secunda vota velle migrare, vel quod minus continenter debeat vivere. » Si autem non obstante, quod sit senex, et sterilis, constet eum incontinentiæ adhuc esse deditum, vel de incontinentiæ esse suspectum, tunc altero in Religionem intrante, debet et ipse intrare, nec potest in sæculo remanere; textu expresso in cit. cap. *Uxoratus*; ibi: « Si autem talis fuerit quod suspitione non careat, Voto continentiam celebrato, a Sæcularium hominum se conversatione removeat, et in loco Religioso, ubi Deo serviat, perpetuo commoretur; » Fagnan. loc. cit. num. 9. Pirhing loc. cit. num. 6. Reiffenstuel. loc. cit. n. 19, et alii.

(20. Quarta est, ut Conjugum in sæculo remanere volens, perpetuum Votum Continentiæ emittat; cap. *Cum sis*, 4, de conversione Conjugatorum, ibi: « Ut ea in sæculo remanente, et Castitatem promittente: » cap. *Ad Apostolicam* 13, eod. ibi: « nisi reliquus perpetuam continentiam repromittat cum aliis similibus. »

(21. Professio emissa a Conjugum cum consensu alterius Conjugis, est valida, quamvis non adhibitæ, et observatæ sint aliæ tres ultimæ assignatæ conditiones. Nullibi enim in Jure irrita declaratur talis Professio; immo in Jure habetur potius, quod sit valida, ut patet in c. *Ex parte* 9, de conversione Conjugatorum, ubi cum vir de licentia Uxoris sine dictis tribus aliis conditionibus Religionem professus, et revocante Uxore, iterum egressus, mortua eadem, aliam duxisset, Matrimonium fuit declaratum nullum, et Vir compulsus Religionem priorem intrare, quod aperte declarat ejus Professionem validam fuisse. Sic Glossa in cit. cap. *Ex parte* verb. de Jure, Abbas ibid. n. 2, 3 et 5. Reiffenstuel loc. cit. num. 22, et alii arg. cap. *Agathosa* 21, caus. 27, qu. 2, cit. cap. *Ex parte* 9, de conversione Conjugatorum.

(22. Si Conjugum in sæculo remanens, perpetuam Castitatem voverit, Conjugum de ejus licentia professus nequit amplius revocari, sive Conjugum in sæculo remanens sit juvenis, sive senex, sive de incontinentia suspectus, vel suspecta, sive non. *Communis*, arg. cap. *Præterea* 1, de conversione Conjugatorum, ubi ut patet ex verbis mox adducendis *numero sequenti*, ad hoc ut Professio conjugis de licentia alterius emissa irrevocabiliter valeat, divisive solum requiritur, ut alter Conjugum, vel ad Religionem transierit, vel perpetuam Castitatem voverit, non distinguens in hoc casu inter juvenem, et senem, inter suspectum de incontinentia, et non suspectum, adeoque etc. cum ibi Lex non distinguit, neque nos distinguere debeamus; c. *Quia circa* 22, de privil. et l. de pretio 8, ff. de Publiciana in rem actione.

(23. An autem, unus Conjugum de licentia alterius Professionem in Religione emittat, et alter in sæculo remanens perpetuam Castitatem non voveat, Professus ad Uxorem iterum revocari possit, et debeat? variant Do-

ctores. Reiffenstuel enim loc. cit. num. 23. tenet sententiam affirmativam per textum in cap. *Præerea*, 8. de conversione Conjugatorum, ibi: «Dicimus, quod nisi Uxor ad Religionem transierit, aut perpetuo Castitatem servare promiserit, Vir potest, et debet de Monasterio revocari,» dicitque sic hic tenere Doctores communiter. Alii vero cum distinctione procedunt sic: Vel Conjuges remanens in sæculo sine emisso voto perpetuæ Castitatis dando licentiam alteri conjugi ingrediendi Religionem fuit conscius Juris disponentis non posse unum Conjugem profiteri, nisi alter ad id licentiam concedens vovent perpetuam Castitatem, si sit senex, et non suspectus de incontinentia, et ingrediatur Religionem, si sit juvenis, et de incontinentia suspectus: vel fuit talis Juris ignarus; si fuit talis Juris ignarus, tunc dicunt, posse Conjugem professum revocari juxta cit. c. *Præerea*; si autem fuit talis Juris conscius, tunc dicunt, non posse Conjugem Professum revocari, quia Conjuges conscius talis Juris dando licentiam alteri Conjugi Professionem emittendi, censetur se obligasse ad id, quod jus requirit, videlicet, quod et ipse Religionem ingredi velit, si sit juvenis, et suspectus de incontinentia: vel perpetuam Castitatem vovere, et observare in sæculo, si sit senex, et de incontinentia non suspectus; nam qui vult aliquid, censetur velle omne id, per quod pervenitur ad aliud; cap. *Præerea* 5. cap. *Prudentiam* 21. et c. *Suspicionis* 39. de Officio Delegati, l. *Cui Jurisdictio* 2. ff. de Jurisdictione, l. *Ad rem nobilem et Ad Legatum*, ff. de Procurator. Atqui ingressus unius Conjugis in Religionem non potest irrevocabiliter fieri, nisi alter Conjuges, vel ingrediatur etiam ipse in Religionem, vel saltem in sæculo manens vovent perpetuam Castitatem, juxta d. cap. *Præerea* 1. de conversione conjugatorum. Ergo dando conscius talis Juris licentiam, censetur ad alterum se obligasse, adeoque Conjugem Professum revocare non potest; Abbas cit. cap. *Præerea* n. 4, et cap. *Ex parte* 9, n. 4, de conversione Conjugum. et multi alii apud Fagnan. in cit. c. *Præerea* 1, n. 8. de conversione Conjugatorum. Sanchez lib. 7, de Matrim. disp. 33, num. 14. Pirhing loc. cit. n. 14, et alii sic intelligentes, et explicantes dist. cap. *Præerea*: Quamvis ipse Pirhing ib. vers. *Id autem, in fine*, dicat non esse improbabilem priorem affirmativam sententiam.

(24. Conjuges remanens in tali casu in sæculo, si sit juvenis et de incontinentia suspectus, compelli potest ab Episcopo, ut et ipse Religionem ingrediatur, saltem ad evitandas evagationes, et pericula incontinentiæ. Sic Doctores passim argum. c. *Significavit* 18. de conversione Conjugatorum. Et quidem si fuit conscius Juris, quod dans in tali casu licentiam, et ipse profiteri debeat; arg. c. *Uxorem* 10, caus. 33, q. 5. compellendus est, non solum ad Religionem ingrediendam, sed etiam ad ipsam profitendam; arg. cit. cap. *Uxorem*, et cit. cap. *Significavit*. In tali enim casu censetur ad id tacite se voluisse obligare. Si autem fuit talis Juris ignarus, com-

peeli solum potest, ut Religionem, seu Monasterium ingrediatur ad evitandas evagationes, et pericula incontinentiæ, quia nec tacite nec expresse se voluisse ad Professionem obligare censetur. Sic Abbas in cit. cap. *Præerea* n. 8, et ibi Fagn. n. 4, ad finem, Sanchez loc. cit. n. 27. Pirhing loc. cit. n. 14. vers. *Porro*, Reiffenstuel loco cit. n. 25, et alii.

(25. Quamvis de Jure communi non requiratur licentia Episcopi, ad hoc ut unus Conjuges de consensu alterius Religionem ingrediatur, ibique valide profiteatur, ut notant Glossa in cap. *Si vir*. 23. caus. 27, q. 2. Abbas in cit. cap. *Præerea*, Sanchez lib. 7. de Matrim. disp. 32, num. 3. Reiffenstuel loco cit. n. 11. et ipso teste alii communiter; arg. cit. c. *Præerea* 1, de conversione Conjugatorum, ubi Professio conjugis, ignorante Episcopo, facta censetur valida; tamen saltem, ut licite fiat talis Conjugis Professio, licentia Episcopi est necessaria; c. *Si Vir*. 23, caus. 27, q. 2, ubi ex Synodo Eugenii Papæ sic expresse habetur: «Si Vir, et Uxor divertere pro sola Religiosa inter se consenserint vita, nullatenus, sine Episcopi conscientia fiat;» Glossa in cit. cap. *Præerea* verb. *Revocari*. Layman lib. 5, tract. 10, part. 3, c. 7, n. 3. Reiffenstuel l. c. n. 21, et alii. Per talem enim ingressum, et Professionem fit separatio Conjugum quoad torum, quæ sine licentia Episcopi fieri universaliter prohibetur; cap. *Multorum* 10. caus. 36, qu. 7. Tum quia ex dictis supra n. 18. ad Episcopum spectat judicare, an aliquis Conjuges sit ita senex, ut sine suspitione incontinentiæ, altero Religionem intrante, et profite, possit voto perpetuæ Castitatis emisso remanere in sæculo; cap. *Cum sit* 4. de conversione Conjugatorum.

(26. Quando unus Conjugum adulterium committit, potest, eo invito, Conjuges innocens Religionem ingredi. Vide verb. *Divortium*, n. 44.

(27. Et si adulterium sit publicum et notorium, potest Conjuges innocens ingredi Religionem propria auctoritate, non expectata sententia Judicis. Vide ibid. n. 45.

(28. Si vero adulterium sit occultum, debet expectare sententiam divortii a Juce. Vide ibid. n. 46.

(29. Conjuges innocens, si post alterius adulterium ei voluntarie cohabitavit petendo, et reddendo debitum Conjugale, non potest, eo invito, Religionem ingredi. Vide ib. n. 47.

(30. Sic etiam Conjuges innocens, si ex post et ipse adulterium committat, non potest, invito primo adultero, Religionem ingredi. Vide ib. n. 48.

(31. Quando Conjuges innocens Religionem non ingreditur, sed in sæculo manens divortium facit a Conjugate adultero etiam quoad cohabitationem, non potest Conjuges adulter sine licentia Conjugis innocentis ingredi Religionem. Vide ib. n. 49.

(32. Potest tamen Conjuges adulter Religionem ingredi, et in ea profiteri, etiam in scio, et invito Conjugate innocente, si hic prius est

Religionem ingressus, et in ea professus. Vide ibid. n. 50.

(33. Quotiescumque Vir ob adulterium Uxoris, ea invita, potest Religionem ingredi, potest etiam Ordines Sacros in sæculo quoque manens recipere. Vide ibid. n. 51.

(34. Affertur, et solvitur instantia. Vide ibidem num. 52.

(35. Propter adulterium spirituale potest alter Conjuges fidelis, etiam alio invito, Religionem ingredi, vel Sacros Ordines suscipere, etiam postquam ad veram Fidem rediit iterum Conjuges adulterans. Dummodo separatio ob tale adulterium spirituale auctoritate Ecclesiæ, et non propria, facta. Vide ibid. n. 53.

(36. Propter adulterium spirituale, seu lapsus in Hæresim, seu Gentilismum alterius Conjugum, potest Conjuges innocens etiam propria auctoritate licite facere divortium quoad torum, et cohabitationem. Cum hac tamen advertentia, quod, si Conjuges innocens propria auctoritate, et sine Judicio Ecclesiæ divortium fecit a Conjugate in hæresim lapsus, et ipse reus hæresis sese ab errore revocaverit, tunc tenetur eum iterum recipere, seu ad eum iterum redire. Vide ibid. num. 21, 22, 23 et 24.

(37. Si vero Conjuges innocens judicio Ecclesiæ divortium fecit, non compellitur Conjuges conversum recipere, seu ad eum iterum redire, sed potest Religionem intrare, si vult. Vide ib. n. 23.

(38. Si tamen Religionem ingredi noluerit, etiam hic redire compellitur. Vide ib. n. 24.

(39. Non enim solvit Matrimonium quoad vinculum, si unus Conjugum transeat ad Infidelitatem seu labatur in hæresim. Vide verb. *Impedimentum Matrimonii* art. 1, n. 95.

(40. Immo nedum non dirimuntur Matrimonia propter Hæresim, sed et valide contrahuntur cum Hæreticis, si ritu Catholico contrahantur. Vide ibid. n. 96.

(41. Quinimmo secundum multos Matrimonia cum Hæreticis, nedum sunt valida, sed etiam licita in locis, ubi Hæretici, et Catholici permixti vivunt, cum quibusdam tamen conditionibus. Vide tamen verb. *Hæreticus* a n. 21 ad 26.

(42. Talia tamen Matrimonia ordinaria sunt illicita sub peccato mortali nisi Papa dispenset, aut rationabilibus causis excusentur. Vide verb. *Hæreticus* a n. 21 ad 26 (1).

(43. Impiissimum, et graviter peccaminosum est, tam contra Jus Ecclesiasticum, quam Divinum, illud pactum, quod in aliquibus locis dicitur adjuvari Matrimonio Catholici cum Hæretica, nempe ut masculi educentur in Fide Catholica Patris, et Fœminæ in secta Hæretica Matris, vel e contra. Vide ibid. n. 25.

(44. Nec valet immemorabilis consuetudo in contrarium. Vide ib. n. 26.

(45. Si ambo Conjuges Infideles convertantur ad Fidem Catholicam, possunt, et debent in Matrimonio prius contractu permanere quamvis cum impedimento Ecclesiastico, seu secundum Canones dirimente contraxe-

(1) De Divortio, deque Hæreticorum, atque Infidelium Conjugiis, plura hic addenda atque explicanda

rint. *Communis*, textu expresso in c. *Gaudemus* 8, de divortiiis, juncto ejus Summario, ubi sic expresse habetur: «Pagani juncti in gradu prohibito Lege Canonica tantum, conversi ad Fidem non separantur;» et insuper in cit. c. *Gaudemus* assignatur hæc ratio: «Quia Infideles Constitutionibus Canonicis non arctantur (quid ad nos secundum Apostolum eundem de his, qui foris sunt, judicare?) in favorem præsertim Christianæ Religionis, et Fidei, cujus perceptione per Uxores se deserere timentes Viri possent facile revocari; Fideles hujusmodi matrimonialiter copulari libere possunt, et licite remanere conjuncti, cum per Sacramentum Baptismi non solvantur Conjugia, sed crimina dimittantur.»

(46. Si Vir Infidelis plures habuit Uxores, debet, cæteris dimissis, solam primam retinere, si hæc etiam convertatur, vel saltem pacifice, ut sine periculo perversionis cum converso habitare velit. *Communis* per text. in citat. cap. *Gaudemus*. 8. de divortiiis, juncto ejus Summario sic expresse dicente: «Si Paganus prius plures Uxores habeat, post Fidem susceptam adhærebit primæ;» Et ratio est clara, quia cum Polygamia Jure Divino sit prohibita, cum sola prima verum, ac validum contraxit Matrimonium.

(47. Hinc si prima nolit se convertere, nec absque periculo perversionis, et injuria Creatoris cum converso habitare velit, non teneretur Vir conversus aliquam aliam ex Uxoribus seu potius Concubinibus habitis, retinere, etiamsi omnes se converterent, sed posset pro libito alteri nubere, quia cum nulla ipsi, prima excepta, verum, ac validum contraxit Matrimonium; Barbosa cum aliis in cit. c. *Gaudemus* n. 21, et seq. Reiffenstuel lib. 3. Decret. tit. 33, n. 3, et alii passim.

(48. Si Vir Infidelis secundum ritum suum primam legitimam repudiavit Uxorem, et cum secunda contraxit, etiam post susceptum Baptismum dimittit secundam, et adhærebit primæ repudiatæ, etiamsi repudiata cum alio contraxisset; Nec, ipsa vivente, poterit aliam ducere, nisi ipsa prima non conversa renuat habitare cum ipso, vel si consentiat habitare, nolit tamen sine contumelia Creatoris, et periculo perversionis Conjugis conversi. *Communis*, text. expresso in cit. c. *Gaudemus* § *Qui autem*, ibi: «Qui autem secundum ritum suum legitimam repudiavit Uxorem, cum tale repudium Veritas in Evangelio reprobaverit, numquam, ea vivente, licite poterit aliam etiam ad Fidem Christi conversus habere, nisi post conversionem ipsius illa renuat cohabitare cum ipso, aut etiamsi consentiat, non tamen absque contumelia Creatoris, vel ut eum pertrahat ad mortale peccatum, quo casu restitutionem petenti, quamvis de injusta spoliatio constaret, restitutio negaretur, quia secundum Apostolum, Frater, aut Soror non est hujusmodi subjectus servituti etc.» et concordat ejus Summarium sic præcise can-

esse Romani Censores monuerunt; nos vero omnia propriis in locis exponemus.